

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0104

0102

0108

0098

0113

0093

0153

0053

0203

0003

0603

1103

Ende

Anfang

93

eius rigescere coepit, nec se erigere quovis modo valuit, et dum manum Domini sensisset aggravatam super se, humiliter et cum multis lacrymis se deportari petiit, sed membrorum suorum naturalem usum et liberum numquam posthac recuperravit, et claudus et invalidus repatriavit et paralyticus obiit. Mirum est, quod non in continenti extinctus fuit.

Alii tota nocte negotiabantur cum mercatoribus. Ad omnia enim loca, ad quae pergunt peregrini dum sunt in terra sancta, concomitantur eos mercatores christiani, de genitura orientales, haeretici callidissimi et avarissimi, nec somnum capiunt interim, quod peregrini in terra sancta sunt. Et quotiens in ecclesiam sancti sepulchri intrant, illi mercatores cum suis mercibus etiam cum eis intromittuntur, quam introductionem pecunia magna comparant, et se directe ante ostiolum sancti sepulchri locant et expanso panno super pavimentum sua negotia ibi exponunt. Quidam ergo peregrini, ex quo recessus eorum instabat, tota nocte illa negotiando vigilabant et diversa emebant. Non enim solum Pater noster et lapides pretiosos, sed pannos de Damasco, de Scamolato, et de serico venalia ibi habebant. Et circa hos mercatores erat magna inquietudo et clamor, sicut in foro. Vidi ibi quosdam peregrinos nobiles et honorabiles, qui in terris suis negotiationem cum mercatoribus, etiam in publicis nundinis, tamquam rem dishonestam et suo statui non convenientem vitabant; hic vero in loco sanctissimo continue negotiis insistebant, et pannos pretiosos et jocalia comparabant. Et qui pure propter Deum vel propter militiam de terris suis fuerant egressi, iam lucri affectu vel cupiditate allecti negotiatores sunt effecti, insistentes mendaciis, fallaciis, perjuriis, et execrabilibus juramentis, quae etiam schismatici et haeretici illi, cum quibus tractabant, facere horrebant, conabantur enim res bono foro emere, ut (B) easdem aliis carius venderent in suis partibus, sicut faciunt veri mercatores, qui se talibus nutriunt; vel ut jocalibus et clenodiis amicitias carnales emerent (et) amores multorum, vel ad ostentationem emitis uterentur. Et in hac mercantia non erat cura de sacro loco nec de sacro die et festo instantे S. Mariae Magdalene. Nec hoc saeculares soli faciebant, sed quidam monachi irreligiosi et clerici his vacabant.

